Pessima, queis illic quatitur sub jure Quiritum,
Istic torquetur nonnunquam fœdere fracto
Majorum, quos sella vehit per publica princeps.
Nec Pharisæa cohors, nec Sadducæa quiescit,
Hæretica quando populum nigredine vexat
Utraq; Schismatica confundens verba sacrarum
Legum Doctrinâ, turbatur ut ordine toto
Publica Judææ res omnis privaq; Gentis.
Hæc secum Virgo, Davidis germine nata,
Insignis formâ, Virtutum flore coruscans,
Ceu Dictynna plenis jam cornibus alto
Emicat; hæc, inquam, volvebat mente Maria,
Et tristem largo humectabat flumine vultum,
Ipsa petens tamen è sacris solatia libris,
Atq; videns, referat sacrum quid pagina Vatum
De Judæorum Regnoq; statuq; futuro.
Tum forte ad dextram venit seq; obtulit ultro,
Evomuit, spirante Deo, quod sanctus Esajas:
Affore, cum sine facta viro, sine facta marito
Expers et tæda superas erepta sub auras
Virgo dabit puerum, summi Natumq; Tonantis,
Salvum qui faceret populum, miserosq; locaret
Terrigenas super astra poli. His à Virgine lectis,
Ecce venit puer ante oculos, delapsus ab alto
Coelo, pinnatus rapidoq; simillimus austro,
Nuncius Astrigeri, teneraq; intonsa juventa
Ora gerens, ramumq; ferens frondentis Olivæ:
Qui sic, ante pedes consistens Virginis, infit:
Salve Coelicolum Regi acceptissima Virgo,
Cui patet ex alto Supremi gratia, salve!
Talibus auditis Mariæ per cuncta cucurrit
Ossa tremor: steteruntq; comæ: Vox faucibus hæsit.
Tolle metus, inquit juvenis pinnatus: Diva

Virtus